



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm,
Consiliariorvm Iudicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm
Magistratvvm Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum
omnium**

Tympe, Matthäus

Coloniae Agrippinae, 1617

69 Nullam aliam tolerare quam Cathol. Romanam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52641)

pacem perpetuam defensores. Quanta autem cū
felicitate Remp. gubernariæ Principes & Magi-
stratus, quotquot verè fuerunt Catholici, lege
in Theatro meo Historico. Poenas Religionem &
Ecclesiam oppugnantium, vide in Theatro Vin-
dictæ Diuinæ.

SIGNVM LXIX.

NULLAM ALIAM TOLERARE RELI-
gionem, quàm Catholicam Romanam, ac
proinde Hereses, quoad fieri potest,
extirpare.

S. Augustinus, exponens verba Davidis Regis
ad Reges, Psalm. 2. *Seruite Domino in timore,*
ait: Quomodo Reges seruiunt *in timore*, nisi ea,
quæ contra iussu Domini fiunt, religiosa seueri-
tate prohibendo, atque plectendo? aliter enim
seruit, quia homo est: aliter, quia etiam Rex est.
Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter: quia
verò etiam Rex est, seruit Leges, iusta præcipientes,
& contraria prohibentes, conuenienti rigore
sanciendo.

Hinc omnes pij & Deo chari Reges in Veteri
Testamento Idololatriam & quidquid veræ Re-
ligioni aduersabatur, diligenter propulsarunt. In
Nouo Testamento Christus Hæreticos appellat
Pseudopphetas, lupos rapaces, fures, & latro-
nes. (Math. 7. 15.) D. Paulus, (2. Cor. 11. 13. 2. Tim. 3.
4. Tit. 3. 11.) operarios subdolos, blasphemos, sce-
lestos, proditores, proprio iudicio cõdemnatos.
S. Petrus, seruos corruptionis, eorumque doctri-
nam sectas perditionis, quibus se, aliosque per-
dant.

dant. (*epist. 2. cap. 2. 1.*) S. Ioannes, (*epist. 1. cap. 1. 18.*)
 Antichristos & seductores. B. Iudas, arbores in-
 fructuosus, bis mortuas, fluctus feri maris, de-
 spumantes suas confusiones. S. Ignatius confert
 eos cum rabidis canibus, basiliscis, & squamosis
 draconibus. Cyprianus cum lupis. Ambrosius cum
 noctuis & vulpibus. Hieronymus cum scarabæis.
 August. cum cimicibus. Vincentius Lyrinensis cum
 viperis, ranis, & muscis morituris. Clemens cum
 Idololatriis. Cur igitur Magistratus eos tolerarent?
 Optimè optimi quique Imperatores non aliam,
 quam Catholicam Religionem, pulsa Idolola-
 tria & hæresi, coli ab omnibus voluerunt. *Ar-
 diti* suavit *S. Chrysostomus*, vt mallet Imperij iactu-
 ram facere, quam Gaynæ Duci templum pro A-
 rrianis Constantinopoli indulgere, dicens: Quæ-
 admodum, ô Imperator, si quis Coronæ tuæ præ-
 tiosis & fulgentibus gemmis micanti vitri par-
 tes, aut viles lapillos admisceat, pretium & splen-
 dorem minuet: ita si in eadem Ecclesia Catholi-
 cis hæreticos coniunxerit, quos vel errorem re-
 cognoscere, vel ciuitate exturbari oporteat, ful-
 gentem eiusdem Coronam vitiauerit. *sozom. lib.
 8. cap. 4. vide 89. signum boni Clerici.* Martianus se-
 uerè veuit, ne quod semel in Concilijs Patrum
 decretum esset, in quæstionem vocaretur. *Cod. de
 Summa Trinit. l. nemo.* S. Ludouicus Gallia Rex,
 morti proximus, filio Regni suecessori hoc ma-
 ximè demandauit, vt hæreticos & schismaticos à
 Gallia extirparet. (*Nau. l. gener. 28.*) In Synodo
 Oecumenico Lateranensi, sub Innocentio III. ce-
 lebrata, proposita etiam graui poena Principibus
 & Magist. imperatum est, vt finibus suis hæreti-
 cos, idque iureiurando promitterent. Leo Regia
 potestas

potestas non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesie praesidium Principibus est collata,

SIGNVM LXX.

AMARE RELIGIOSOS.

MAnebat quidam Monachus Aegyptius in suburbano Constantinopolitanae urbis, *Favere Religiosis.* dum transiret Theodosius Iunior imp. per illam viam, reliquit omnes, qui in obsequio eius erant, & venit solus in cellam eius, & pulsans ad ostium Monachi, aperuit ei Monachus. Videns autem eum, cognovit quia Imperator esset, sic tamen suscepit eum, tanquam unum ea officio militantium. Cum ergo introisset, fecerunt orationem, & federunt. Coepit autem eum interrogare Imperator, dicens, quomodo sint Patres in Aegypto. Et ille: Orant pro salute nostra omnes. Imperator autem circumspiciebat in cella eius, si quid haberet, & nihil ibi vidi, nisi parvam sportulam, habentem modicum panis, & lagenam aquae. Et dixit ei Monachus: Gusta modicum. Et infudit ei panem, & misit oleum, & sal: & manducauit, & dedit ei aquam bibere. Dixit autem ei Imperator: Scis quis sum ego? Et ille dixit ei: Deus te scit quis scis. Tunc dixit ei: Ego sum Theodosius imp. Ille autem statim adoravit, salutans eum humiliter. Et dixit Imp. Beati estis vos Monachi, qui securam vitam habetis, & non cogitatis de hoc saeculo. Veritatem dico vobis, quia licet in Imperio natus sum, nunquam tamen delectatus sum, sicut hodie, pane & aqua: satis, n. & libenter comedi. Et coepit ex tunc honorare eum Imp. Senex autem egrediens fugit, & iterum venit in Aegyptum. *Vit. Patr. part. 2. cap. 14. de Humilitate. Vide Baron. Tom. 5. Anno Christi 425.*

2. R. 17-